



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 18. Censuræ Propositionum Wolfgangi Schuch.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

*Sacerdotium & illa, quæ datur infirmis, Sæcul. XVI.  
non sunt de necessitate salutis. XXXI. Li- A.C. 1525.  
beri sumus ab externis humanis observatio-  
nibus, Ceremoniis, aut si tales sunt, ut a  
nobis velut necessariae exigantur ad salutem,  
omnino rejiciendæ, ut sunt Papisticæ Leges,  
& humanæ doctrinæ in Verbo Dei non fun-  
datæ, ut interdictum ciborum, Vota, ar-  
ticularis confessio, oblatio, Indulgentiæ,  
Satisfactiones, Doctrinæ de invocatione San-  
ctorum, Purgatorio, Idolis, templorum  
ornatibus, missis emptis, vigiliis, quibus  
frustra colitur Deus, & abominationes sunt  
Deo.*

### §. XVIII.

#### *Censuræ Propositionum Wolfgangi Schuch.*

**V**aria erat harum propositionum cen-  
sura; quippe nonnullæ atque inter  
illas prima & secunda declarabantur  
hæreticæ, ac sacræ literis adversæ.  
Tertia dicitur falsa, errori Wiclefi in Con-  
cilio Constantieni damnato consentanea.  
Quarta, in Spiritum sanctum blasphema.  
Quinta, sexta, & septima proscribun-  
tur ut falsæ, atque ex ignorantia veri sen-  
sus Scripturæ temerarie, atque erronee af-  
fertæ. Octava declaratur, ex impiis dam-  
natisque Wiclefi, & Lutheri erroribus de-  
ducta. Nona pronunciatur legitimo Ec-  
clesiae ritui contumeliosa & hæretica. De-

*Hist. Eccles. Tom. XXXV. C ci-*

Sæcul. XVI. cimam esse damnatum Bohemorum & Lutheri errorem, adstruunt. Undecima perstringitur velut hæretica, & ex perversa Lutheri doctrina deprompta. Duodecima dicitur hæretica, ac D. Pauli doctrinæ contraria. Decima tertia vera quantum ad primam partem, in ceteris vero sacri Codicis intelligentiæ adversa. Decima quarta, & decima quinta, configuntur ut falsæ, atque errori Manichæorum vicinæ. Decimam sextam, & decimam septimam esse Manichæorum errorem a Lutherio renovatum declarant. Decima octava notatur a sententia D. Jacobi aliena, ac Lutheri hæresi consona. Decima nona, & vigesima nominantur erroneæ, & hæreticæ. Vigesima prima damnatur ut falsa, schismatica, Sacratissimæ Matri injuriosa & hæresi favens Valdensium. Vigesima secunda vocatur erronea, & mortificationis prætextu Christianos a vera pænitentia abducens. Vigesima tertia asseritur Epicuri sectæ, & Vigilantii errori conformis. Vigesima quarta rejicitur tanquam falsa seditiosa, & Clerici libertatem contra sanum Scripturæ intellectum injuste gravans. Vigesima quinta, bonis moribus contraria, & hæretica dicitur. Vigesima sexta, expressum Wiclefi errorem continens declarabatur. Vigesima septima condemnabatur tanquam impia, innuens claves Ecclesiæ omnibus Christianis esse com-

communes. Vigesima octava repudiaba- Sæcu! XVI.  
tur veluti manifeste potestati Eccl:isæ detra- A.C. 1525.  
hens, schismatica, & hæretica. Vigesima  
nona, erronea, temeraria, & pio Eccle-  
siae ritui diffona appellatur. Trigesima, in  
fide erronea, & hæretica declaratur.  
Trigesima prima nuncupatur, ab omni  
observantia Ecclesiastica fideles retrahens,  
impia, schismatica, & hæretica, atque in  
eo, quod supponere videtur, hujusmodi Ec-  
clesiae ritus fundamentum non habere in S.  
Scriptura, manifeste erronea, cum pleros-  
que horum rituum de Jure divino esse ex-  
ploratum sit.

## §. XIX.

*Eiusdem Auctoris libelli itidem  
damnati.*

Præter hasce propositiones insuper ad Argent. loc.  
Facultatem deferebantur ejusdem cit. p. 21.  
Wolfgangi Schuch quatuor libri, qui  
pariter examinati, damnatique fuerunt.  
Horum primus erat Paraphrasis in S.  
Joannem, & in primam D. Petri Episto-  
lam. In eo, inquit Argentreus, Fi-  
delium orationes ad Sanctos, eorumque ima-  
gines veluti idololatriam damnabat, liberum  
ab homine arbitrium, & ab Ecclesia ordi-  
nem sacerdotalem aufferebat, neque discri-  
men aliquod ponebat inter Clericos & Lai-  
cos, necnon Christianæ libertatis prætextu-

C 2 dia-